

Bibliothèque numérique

medic@

Riolan, Jean - candidat / Le Febvre,
Albert - président. - Parotis
Juvenibus, an senibus periculosior ?

1603.

Paris

Cote : ms 73 n°346

AD CARDINALITIAM.

QVÆSTIO MEDICA:

Matutinis agitata disputationibus, die Iouis, 15. Maij, in Scholis Medicorum Parisi. D. Alberto le Feure Medico RegioModeratore.

Parotis Iuuenibus, an senibus periculosior?



VRIS oculo præstantior, externa est & cartilaginea, interna verò ossea, quatuor cameris distincta: quarum prima foris obuia & flexuosa, tympano tenui terminatur, quod a natiuitate crassius, aut densius, vel pellicula obductum, surditatis insanabilis causa existit: cui filum attenditur vt in militari tympano. Secunda Concha est, continet aerem congenitum ambienti congenerem, primum auditus instrumentum, & fenestellas duas ad traiectionem cum biliosi excrementi, tum speciei sonoræ, & canalem ab aure ad palatum, implantati spiritus reparationi, & expurgationi dicatum: propterea masticatoriis auris commode expurgatur, & surdastris ore adaperto melius audiunt: demum ossicula tria per ginglymum articulata, & duobus musculis agitata, in recens natis & adultis magnitudine æqualia sunt, verum in his durissima ac solidissima, in illis media adhuc parte cartilaginosa, & intus muco repleta; idè in fantes obtusius audiunt. Tertia Labyrinthus dicitur, Quarta Cochlea, quæ admittit neruum auditorium, qui naribus, radici dentium, linguæ, & laryngi communicatur: hinc surdastris rancidulum quiddam balba de nare loquuntur, & a sono aspero citra contactum dentes offenduntur, & natura surdi sunt muti, & surdi anhelosi, qui durius aures scalpunt tussiuunt, & peripneumonici aures madent, & parotides illis superuenientes faustæ. Eadem camera arteriolas transmittit, quibus spiritu copioso, vel calidiore repletis, pulsans sonus, & vehemens noctu, si aures pileolo obturatæ & puluino obrutæ sint; nec non in acutis morbis & cephalalgis molestus excitatur.



VRIS interna variis morbis tentatur, in quibus maius periculum quam oculis: Nam vitia oculorum intra ipsos nocent, aurium inflammationes doloresque interdum ad dementia mortemque præcipitant. Hanc, vt & externam afficiunt morbi similes, qui in sola intemperie consistunt (eo enim pertinent qui materię & formæ perhibentur) Organici, & Communes: inter quos primum locum tenent, quatuor Tumores contra naturam, Phlegmone, Erysipelas, Oedema, Scirrhus, Inflammatione bubo continetur, Bubo Parotis, est enim bubo earum glandularum quæ sunt pone aures.



BUBO est inflammatio earum præsertim glandularum quæ sunt in inguinibus, aut alis, aut iuxta aures, vbi sunt emissaria trium partium principum; totidem enim sunt non plures nec pauciores. Illæ copia grauata, aut acrimonia irritata, eò suum onus deponunt, hinc bubo nisi manifestam habeat causam vt vlcus in cruribus aut manibus, solaque diaria illi succedat, malignitatem febris demonstrat & aliquid triste minatur.



PAROTIS quædam accidit sanis sine febre, vt cum cerebrum in sua emunctoria sponte sese expurgat, eaque resolutione sola curatur: quædam succedit morbis illis que vel acutis vt febribus ardentibus, vel longis vt affectibus cômatois, criticè si materia fuerit cocta, & excretrix robusta. sine Lunæ influxu, nec minus pari quam impari die, vicesimo potius critico quam vicesimo primo, symptomatice si humor fuerit contumax. & imbecilla natura: habet autem febris suam crissim distinctam a crisi parotidis, potestque vnum abesse altero manente, quandoquidem parotidibus suppuratis pure albo læui æquali & minime foetido multo intereunt.



PAROTIS quædam parua, quædam magna, vtraque vitiosa, sola mediocris optanda; quædam calida & biliosa, Alia frigida & pituitosa, illa iuuenes, hac senes sæpius vexantur. Calida dolorifica sæpe intrò recurrit, atque tum funesta: propterea nunquam repellendum, procurandum potius vt humor foras alliciatur, commodissime ferro candente, non expectato pepasmo. frigida verò vt plurimum laxa, mollis, indolens, tardius suppurabit sed securius alioquin ad partes infernas conuerti solet, eaque vel per sputa, vel per vrinas vacuari, vel in abscessum terminari, qui quo longius abest a foco, & in partem capacem transfertur, eò melior iudicatur.

Ergo Parotis iuuenibus, quam senibus periculosior.

Defendebat Ioannes Riolanus Parisinus. anno salutis. 1603.